



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

2 Concilij Provincialis celebrandi loci ad Archiepiscopatum spectat electio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 32 Clerici sunt exempti à jurisdictione seculari à Deo.
 33 Clerici non tenentur subvenire necessitatibus, vel utilitatibus civitatum, nisi

prius Romano Pontifice consulto, & in urgentibus necessitatibus.

- 34 Bona Ecclesiastica non sunt nostra, sed sunt patrimonium Iesu Christi.

PLURA scripsi de potestate Episcoporum, sed cum ad eos etiam spectet Conciliorum, ac Synodorum convocatio, & celebratio, de Concilijs, Synodisque breviter hoc loco differendum duxi, † Conciliorum quatuor sunt genera. Quædam enim sunt generalia, quædam nationalia, quædam provincialia, & quædam diocæsana, de quibus per Card. Bellarm. in 4. controv. gen. tom. 1. l. 1. cap. 4. in princip. Generalia dicuntur ea, quibus interesse possunt, & debent Episcopi totius orbis, nisi legitime impediantur, & quibus nemo recte præsidet, nisi Summus Pontifex, aut alius ejus nomine, & de quibus ante Card. Bellarm. diffuse scripserunt Card. Jacob. in tract. de conc. tract. tom. 13. Nationalia dicuntur, in quibus conveniunt Archiepisc. & Episc. unius Regni, vel nationis, quibus præest aliquis Patriarcha, vel Primas, de quibus per Bellarm. loco supra citato. Provincialia verò dicuntur in quibus conveniant tantum Episcopi unius Provinciæ, quibus præest Archiepisc. Diocæsana autem sunt, in quibus conveniunt Episcopis inferiores unius Episcopatus, quibus Episc. præest, quæ tamen vix dici possunt concilia, ut per eundem Bellarm. eod. cap. 4. qui in d. lib. 1. de concilijs generalibus, & nationalibus diffuse tractat, ad quem remissis lectorem sufficiat.

Concilia Provincialia, ubi omissa sunt, pro moderandis moribus corrigendis excessibus, controversijs componendis, alijs

que ex sacris canonibus permissis renovandis, Metropol. per ipsos, seu illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior quolibet saltem triennio post octavam Paschæ Resurrectionis Domini N. Iesu Christi, seu alio commodiore tempore, in Provincia sua debent celebrare. Conc. Trid. in cap. 2. de reform. sess. 24. † Ad Archiep. spectat electio loci celebrandæ Synodi Provincialis, tamen cessantibus justis impedimentis, & accedentibus commoditatibus necessarijs, Metropolitana ecclesia non est relinquenda, Congregatio Conc. super eod. cap. 2. §. 1. ibi Synodum.

Metropolitanus autem, qui ex aliqua causa Concilium ad præscriptum tempus celebrare non potest, à Summo Pontifice dispensare solet, ut in eisdem decis. congreg. Conc. super eod. cap. 2. sub tit. Cæsar-Augustanæ. In eod. verò concilio † Episcopi omnes, & alij, qui de jure, vel consuetudine interesse debent exceptis ijs, quibus cum imminente periculo transfretandum esset, convenire omnino tenentur, ut d. cap. 2. & cap. 2. de reform. sess. 25. circa princip. & etiam ex dispositione antiquorum canonum erant concilia celebranda, cap. de concilijs, cap. propter ecclesiasticas, cap. pervenit, & c. quoniam quidem. 18. dis.

In concilijs † Provincialibus Commendatarij Monasteriorum, vel Abbatiarum inter Abbates sunt recipiendi, & canonici cathedralis ecclesiæ sunt illis præferendi, quando capitulariter procedunt, aut sedent, quia Ecclesiam repræsentant, & post